



AB

154728



sept. 15

№ 4118 *

00 6



4054/58

ORATIO DE
IOHANNE

SCHEIRINGO,

MAGDEBURGENSI, IVRIS
Vtriusq; Doctore, & Cancel-
lario Megapol.

Scripta

à

GOTTSCHALCO PRÆ-
TORIO.



MAGDEBURGAE,
ANNO M. D. LV.

1604
LW



LECTORI BENEVOLO,
PHILIPPVS GALLVS D.
Metropolitanae Magdeburg. Ecclesiae
Pastor, S. D.



Vod de viro clarissimo, ornatissimoq; D. ABDIA
PRÆTORIO, Poëta quidam cecinit:

Bis septem linguas, Sophiam omnem calluit Vnus,
scriptor & Orator præditus arte, fide.

Hujus sanè vestigia quadam nobis conspicienda præbet Oratio ejus-
dem, de IOH ANNE SCHEIRINGO Magdeburg,
Juriconsulto, elegans, nervosa & rebus ac sententijs utilissimis
uberim referre.

Quam quidem, tum propter hanc ipsam, tum alias ob causas,
quod publicè non extaret amplius, prælo denuò submittere, & con-
cioni populari, in exequijs Reverendi & emeriti D. IOHAN-
NIS Filij, hæredis masculi è SCHEIRINGIS postremi, à
me habita, attexere libuit. Præterquam enim quòd in illa mentio
ejus facta; eandem simul animi grati significationem erga auctorem
extare volui; tum quod me puerum adhuc in album studiosorum
Witebergensium cooptandum examinare, & more academico ab-
solvere dignatus est; tum quòd libellis suis eruditis; postmodum cre-
scentibus annis, studia mea, præsertim in cognitione lingua sanctæ,
non parùm adjuvit, ad eò ut hinc me discipulum Abdia lubens pro-
fitear. Etsi enim Deo, parentibus ac præceptoribus parem referre
gratiam hand possumus: agnoscere tamen accepti beneficij magnitu-
dinem atq; animo grato prædicare convenit. Hanc itaq; grate
mentis testificationem, & iteratam Orationis Prætorianæ editionem,
ut lector benevolus, pro candore suo, æqui boniq; faciat, etiam atq;
etiam peto & contendo. Exarabam. Magdeburgi, III. Non.
Quintil. Anno æræ Christianæ 1604.





REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO IOACHIMO

Episcopo Brandenburgensi, Duci de Munsterberg,

Domino suo clementissimo Gottschals

cus Prætorius,

S. D.



TSI OMNIVM CREATURARVM

humana natura nobilissima est, tamen in tantis calamitatibus quotidie versatur, ut nihil omnino miserius cogitari sive dici queat. Ac verum est, si nec significatio divina voluntatis, nec alterius vitæ sp̄s hominibus proposita foret, optimum esse, ut vel homo non nasceretur; vel natus, in cinerem continuò reverteretur. Hinc infinitæ & affectu-
um plenissima voces oborta sunt, quæ in Tragicorum monumentis subinde repetuntur, qualis & Euripidis illa in Alceste, οὐ βίη
ἀλλ' ὄϊός ἐστι, ἀλλὰ θυμὸς φλογὸς. Et in Troadibus, τὸ μὴ γενέσθαι, τὸ
θανεῖν ἴσον λέγω. Quoquo verò modo illa sese habeant, certè nobis, qui veram Dei doctrinam amplexi sumus, in hoc genere primùm de causis ærumnarum cogitandum est, deinde etiam confugiendum ad promissiones Dei, quibus liberationem aliquam pro clementi sua voluntate pollicetur.

Postquam igitur non multis ab hinc diebus a vocatus à nobis est IOHANNES SCHEIRINGVS Iuris Verusq; Doctor, sanè pro eo, ac decuit, non vulgariter commotus fui, commu-
nemq; eam calamitatem existima vi. Præclarus ille profectò, ac doti-
bus eximijs præditus erat, quas, ut humani quid dicam, vermicibus consumi atq; putrescere, dolendum est. Etsi autem aliorum hominum, qui superstites sunt, dona non obscure videmus, ac immortalis præ-
dicatione digna putamus, tamen iidem, quantò sublimiores sunt, tantò minus suas quoq; partes homini benemerito denebunt.

E 2

Quemad-



Quemadmodum autem ea communis calamitas est, ita commie-
tere non potui, quin brevem admodum seriem de rebus ejus conte-
xerem. Nam si virtuti pramia debentur, certè hunc honorem ei
tribuendum esse, res ipsa clamat & loquitur. Si bonorum virorum
exempla posteritati transmittenda sunt, nihil est pejus, quàm ut si-
lencio nostro nepotibus eam de nobis conquerendi materiam objicia-
mus, quàm nos de majoribus usurpare sæpe solemus.

Quandoquidem autem tutoribus fide dignis ad hunc factum,
etsi exiguum & impositum, opus habebam, ideo C. T. nomen præ re-
liquis omnibus instituto meo convenire putavi. Ea verò in re, quid
animi mihi fuerit, quidve calar addiderit, tam est ad judicandum
facile, ut pro C. T. sententia etiam non monente me perscrutari
queas. Nam cum ultimis his annis à secretis C. T. fuerit, eaq; in-
statione defecerit, utile est intelligere, qua natura, qua virtus, qua
vita, quæ deniq; res ab eo gestæ fuerint. Itaq; cum consilij nostri ra-
tio satis honorifica sit, amanter & sedulò precor, ut hæc ipsa com-
memoratio æquanimitè & cum candore judicij accipiatur. Chri-
stus Iesus Celsitudinem Tuam ad nominis sui gloriam dirigat atq;
gubernet. Magdeburgi, Anno 1555. Mense Augusto.



ORATIO.



ORATIO
DE IOHANNE SCHEIRINGO
Viriusq; Iuris Doctore.

CVM IN OBSIDIONE TROIANA
vehemens admodum contentio præcipuos
inter duces, Agamemnonem & Achillem
oboriretur, Nestor, eventum rei prospici-
ens, auctoritatem suam subito interponit, &
utriq; hortator est ad pacem, privatis affectibus, præ-
ferendam. In primis verò de Achillis virtutibus palam
prædicat, quòd in tota illa expeditione firmissimum
omnibus Achivis propugnaculum esset. Qua de re lo-
quentem eum Homerus his verbis introducit,

Δίσσομα ἄχιλλῆϊ μετέβη χολῆρ, ὅς μίγα πάσι

ἔρηθ' ἄχαισιν πέλειται πολέμοιο κακίῳ.

Elapsis ab eo tempore diebus non paucis, cum exerci-
tus Græcorum miserimè fuisset à Trojanis afflictus,
cœpitemandem concionem in publico principum con-
fessu retexere. Primùm commemorat propter solam
injuriam Achilli factam, reliquos Græcos omnes in tam
tetrìs horribilium calamitatum procellis, fluctibus atq;
angustijs versari. Deinde verò muneribus & verborum
artificio seu lenitate placari jubet, & vocat eum præ-
stantissimum virum, quem vel ipse Deus AÆternus ho-
nore, dotibusq; præclarum esse voluerit. Insignis o-
mnino, & publico præconio digna vox est, quæ ut à sene
longa rerum experientia confirmato proficiscitur, ita
commonefactione vel exemplo non caret. Declarat
enim in hac civili societate necessarium hominis rectè
instituti officium esse, ut, quæ cujuslibet dona sint, cum

E 3

quodam



quodam animi studio consideremus, atq; illos ipsos, quos Deus ornavit, pro dignitate colamus atq; veneremur. Ac verum est, horribilem cœcitatē, seu potius maliciam esse, cum sine sensu id, quod ad usum humanum à Deo collatum fuit, intuemur, & quasi somno de diti præterimus.

Quoniam autem singulis temporibus sui quidam sunt Heroes, quos donis non vulgaribus Deus ornavit, ideo conandum est, ut Nestoris exemplum cum alijs omnes imitentur, tum ij maxime, qui politioris literaturæ studia colunt atq; sequuntur. Et quanquam ita est natura comparata, ut virtutes Achillis, de quibus Nestor locutus est, non facile sint in alijs pares, tamen cum similium & dissimilium Deus unâ sit auctor, subinde in singulis Politijs excitantur nonnulli, qui ad magnorum Heroum similitudinem aliquam accedunt.

Quandoquidem igitur paulò superioribus diebus præclarus admodum vir IOHANNES SCHEIRINGVS, Legum eximius Doct̃or, ex hac mortalitate ad æternam beatitudinem fuit avocatus, officij nostri iudicavimus esse, ut ultimam ei Melodiam, tam tristi funere dignam, accineremus. Nam cum excellentes hominum naturæ nihil aliud sint, quàm peculiaria Dei dona, in dubium vel controversiam non venit, quin eorum memoria vel propter gloriam Dei non sit unâ cum corporibus sepelienda. Insuper etiam posteritatis interest, copiosam præstantissimorum virorum suppellectilem in conspectu habere, ut in exempla tanquam in specula iutuentes, modum atq; rationem vitæ sapienter instituerè discant. Ac sunt in SCHEIRINGI rebus luculentæ virtutum imagines, præsertim earum, quæ ad literati hominis commendationem mirificè conducunt. Deinde vicissitudines quædam concurrunt, quæ solent in hac mortali conversatione miserrimis modis humanam naturam afficere, & nunc hanc, nunc illam homini personam imponere. Atq; illa ferè fuerunt in
causa

causa, ut hanc commemorationem, cum nobis ipsis ad dicendum, tum alijs ad cognoscendum dignissimam esse judicarem.

Primum omnium autem frequens ac usitatum est, de solo natali quærere, quod illi satis inclytum & nobile contigit. Natus enim Magdeburgæ fuit, quæ civitas, ut vetus est, ita celebris jam inde ab initio esse non desijt. Non dicam nunc de vetustis hujus urbis historijs, quod alterius est loci, nec de recentioribus rebus, quarum bona pars creberrimis vulgi vocibus usurpatur, sed multa tamen extare laudabilia, res ipsa clamat & loquitur. Quod si est igitur pars aliqua laudis in condicione Patriæ posita, sicut est, habet equidem SCHEIRINGVS, in quo gaudeat atq; glorietur.

De tempore nativitaris etiam non admodum inter est verba facere, tamen quod ominosum videri poterat, eodem die, & insuper eadem ferè hora clarissimam solis lucem aspexit; quibus biennio antè Ferdinandus Romanorum Rex in mundum editus erat. Non ignoramus dissimilitudinem, quæ cuivis est obvia, nec personarum collationem instituimus, sed de temporis agitur ratione, cujus considerationes reprehendi sine crimine non possunt.

Parentes habuit valdè honestos & satis etiam locupletes, ex quibus Pater HEMMERAMVS civem Magdeburgiacum aliquot annos egit. Initio relucens doctrinæ cum multorum animi, partim metu, partim insidijs, partim verò ignorantia decepti, pertinaciores essent, ibi cum alijs bonis admonitioni piæ ultro paruit atq; cessit. Vidimus eum *Ἐλεόςοργος* erga suos, *Ἐλάσθροπος* erga alios, & in moribus regendis admodum gravem, propter quas virtutes honestissimis quibusq; gratissima ejus conversatio fuit. Quod peculiare Dei donum est, & pro singulari benedictione Dei reputari solet, copiosissimam habuit prolem, octo-
decim videlicet liberorum. Ex his cæteros immatura
morte

morte defunctos tristissimus Pater in funere comitatur, sed solus IOHANNES ultima parentis fata conspexit. Sæpe verò IOHANNI filio narrare consueverat, magnæ sibi voluptatis esse loco, quod haberet filium in rerum cognitione versatum, sed e contra eo valde moveri, quod videret hominibus id genus, vel propter continuos labores, vel hominum maliciam multa variaq; vitæ discrimina esse. Ut cætera præteream, Parens ad ultimam usq; senectam vixit, idq; ita, ut subinde sui similis esse non desineret.

De Familia ejus, etsi pleraq; nobis in noticiam non venere, tamen multis nominibus laude dignam esse quamplurima demonstrant. Memini Doctorem ipsum de majoribus suis commemorare, quod aliquando septem Doctores simul ac semel in ea cognatione fuerint. Ac mihi quidem, ut rarum hoc, ita certè perpetua memoria, præconijsq; eo tempore dignum visum fuit. Prodierat ex eodem sanguine STEPHANVS TVCHERVS, cujus propter ingentia Dei dona conspectus, præ cæteris hic occurrit. Erat enim linguarum præcipuarum mirifica cognitione eximie instructus, artium ac Philosophiæ elementa perquam exactè tenebat, & qui finis studiorum ejus esse ceperat, in negotio religionis strenuè versabatur. De ingenio, de infinita diligentia, de vero zelo, deq; probitate vitæ plurima referri possent, sed non est, cur aliena ab instituto admisceamus. Hæc verò ideo commemoranda fuerunt, ut sicut plantæ radicis naturam resipiunt atq; sequuntur, ita SCHEIRINGVS etiam a majorum virtutibus aut propagine sumpsisse quædam videatur.

Quoniam autem maximopere refert discrimina rectè perperamq; sentientium in Ecclesia conservari, verissimè dici potest, quòd puræ doctrinæ de filio Dei, sicut in his Ecclesijs traditur, strenuus cultor & sectator extiterit. Primum omnium rudimenta pietatis ab ipsis vindicibus seu restauratoribus religionis percepit.

pit. Ea fundamenta semel in animo posita, quocumq;
in loco versaretur, semper unâ circumferebat. Cùm in
Italia quondam ad mortis usq; discrimen cum adversa
valetudine conflictaretur, erant, qui aquam, vel alio-
qui sepulturam pro more sceleratorum minitarentur,
nisi decretis Pontificijs in communione pareret, ve-
runtamen spretis omnibus minis constantiam præstitit,
& humanæ autoritati divinam prætulit voluntatem.
Nonnunquam in Politicis negocijs res ei cum homini-
bus parum sincerè de religione judicantibus fuit, nihi-
lominus ita egit, ut à conscientia maculis immunis es-
set. Cùm de mutatione doctrinae annis ab hinc non
multis passim infinita certamina forent, contulit ipse
quoq; talentum suum, & institit apud suos, increpatione,
admonitione, consilij, scriptis & confirmatione,
qua de re suos quosdam in Megapolensi ditione, testes
omni exceptione majores habere posset. Interea verò
dum versatus apud nos hos annos fuit, siquidem exter-
nis aliqua vis inest, certè multa veræ pietatis documen-
ta dedit. Nam & ministerio verbi reverentiam Chri-
stiano dignam non denegavit, & sua quadam liberalita-
tis beneficia ad ministerium Scholæ conservandum
privatim contulit. Omitto nunc monumenta templo-
rum, quæ sumptibus ipsius constructa sunt, & hodie
quoq; demonstrantur. Quantopere verò ab omnium
recentiorum Pharisaico fermento alienum nimium
habuerit, satis in familiari sermone declaravit, tum ve-
rò omnium maximè in ea concione, quam ultimam ad
domesticos in agone habitam esse, qui audire, te-
stantur.

Vt ad cætera veniam, ingenia, quod satis constat,
ferè solent à celeritate judicari, quam mediocrem in
ipso fuisse cùm consilia, tum aliæ quædam actiones do-
cuerunt. Ac ut unum ex multis recitem exemplis, cùm
in gravi quondam negotio diversæ nonnullorum vo-
ces essent, alijs aliud meditantibus, solus ipse partium

F

divisio-



divisiones fieri jubet, ut ita ex collationibus, quid in rem esset, decerneretur. Intererat deliberationi LEVINVS EMBDIVS prudentissimus senex, & de Magdeburgiacis rebus præclare meritus, cum alijs, tunc in hoc Martis armorumq; strepitu recentiori. Ei sapiens admodum ac singularis quasi sententia visa fuit, quæ adeo etiam irrita non extitit, ut nebulae continuo disjecta sint atq; depulsa.

Sicut autem ingenio sua quædam vis non contemnenda fuit, ita iudicij dexteritas non est desiderata. Multi cum impetu sineq; discrimine feruntur, sed hic & audivit aliorum iudicia, & sua contulit, & ex mutua demum collatione certam aliquam in sententiam cum alijs sine pertinacia vel arrogancia discessit. Aiebat sapissime sibi prolixas cum IACOBO RODIO Magdeburgiaco Consule, cujus erat magnum acumen, disputationes fuisse, nihilominus ita actum, ut alter alterius iudicio concederet, & ipsa quoq; sententia singulis rectè distributis in unum corpus redigerentur.

Memoria verò quanta in adolescente fuerit, non est, quod à nobis, cum conversatio defuerit, dicatur, sed in senesæpe sum recordandi vim admiratus. Audivimus eum de multis Italicis, alijsque rebus nostra memoria gestis ita narrantem, ut omnium circumstantiarum rationem redderet atque perhiberet. Audivimus in recitationibus, etsi longi temporis spatio repetebantur, tamen unum idemque semper adferri, quod de memoria fideque magnum erat argumentum. Audivimus in longo contextu sermonis, multis varijsque mixtis & propositis, à scopo tantum non aberrasse, ut quovis tempore ad id, unde digressa fuerat oratio, redire potuerit. Quæ omnia adolescentem quidem maxime opere decent & ornant, in senes verò sæpe mirabilia sunt, præsertim cum ingenia continuis molestijs atque certaminibus sunt exhausta.

Cum his donis diligentiam quoq; in cognitione doctrinæ,

Erinæ, studijsq; conjunxit. Ac potest cùm diligentia
rùm cæterorum donorum evidens esse signum, quod in
primis annorum cunabulis & ferè præter ætatem, pro-
ut res eo tempore ferebant, honores, gradus, seu te-
stimonia studiorum obtinuerit, de quibus postea dice-
tur.

Cæterùm in dicendi facultate præclaris ac divinis
omnino virtutibus fuit instructus. Hic ut inventio-
nem omittam, quam non defuisse superiora docent,
certè elocutio copiosissima fuit, & quidem naturæ be-
neficio indita, non artis industria comparata. Accede-
bat pronuntiationis & gestuum nativa quædam con-
venientia seu Harmonia. Quid in publicis actionibus
factitatum sit, alij testabuntur, sed in privatis congressi-
bus audivimus eum sæpe totas horas cum sua quadam
autoritate loquentem. Nec erat in eo sermone inanis
verborum strepitus atque sonus, sed accedebat multa-
rum rerum varietas, quæ pectora non profus agrestia
facile delinirent, & ad recordandi vim excitarent.

Quod ad reliquas attinet virtutes, peculiare in
ipso fuerunt illæ maximè, quæ *ἠθικὰ* vocantur, quales sunt
Ἐπιλογοργία, *Ἐλευθροργία*, Affabilitas, Beneficentia, Candor
in dicendo, fides in rebus agendis, Amor mutua soci-
tatis, atque conversationis. De Ciconijs recitari solet,
quod genitores senio debiles ad aquas humeris suis de-
vehant, in quo mirificum *Ἐπιλογοργίας* simulacrum propo-
nitur. Id exemplum SCHEIRINGVS in suo quoque
parente fuit imitatus, quem senio confectum manibus
junctis unâ secum in templum deducebat atque redu-
cebat. Sic uxorem, sic liberos complectebatur, ut o-
mnibus suis ingens sui desiderium reliquerit. Quoad
cæteros homines, religiosum ei erat, vel puerum offen-
diffe.

A congressu vel colloquio tantùm abest, ut rejeci-
rit quenquam, ut crebrò occasionem suo ductu cæte-
ris alloquendi daret. In communi societate iuvanda



vel amplificanda semper promptissimus extitit, ut non raro domestica re neglecta, id, quod aliorum erat, tractandum agendumq; suscepit. Quoties cum alijs sententiarum collationem habebat, sincere sineq; dolo, qui sensus animi erat, perspicue proloquebatur. In rebus seu negocijs, quæ commissa fuerant, expediendis ea fidelitas conspiciebatur, quam vel in domesticis præstitisset, vel ab alijs exhiberi sibi ipsi petisset. Accedebat in ijsdem indefessa promptitudo, ut nunquam non paratum & industrium haberes. Insuper, quod humanum est, sed in alijs tamen magis, in alijs minus deprehenditur, societatis honesta suo modo amantissimus erat, ac credo nihil ei acerbius accidere potuisse, quam si ad solitudinis paulò prolixioris partem fuisset obligatus. Hæc igitur omnia, quotquot eorum in commemorationem venire, revera in isto corpuseculo fuisse, tam verè potest, quam quod maximè & optima fide dici. Ac primum quidem ad eos me refero, quibus longa conversatione notissimus & quasi ad pilum usq; fuit exploratus. Deinde verò sequentia quoque cogitanda propono, utpote quod ad functiones præclarissimas adhibitus fuit, quæ quidem res sine singulari Dei providentia ac tali virtute non temere solet usu venire. Iam illud hic accurata consideratione prorsus est dignum, quantum sit decus, dignitas & splendor in illis ipsis, quæ in has corporis angustias à natura diximus effusa. Nam ut ab illis, ubi cum Deo agitur, ordiamur, omnino nihil unquam ad beatitudinem propius accedit, quam vera & salutaris Aeterni Dei in Christo noticia, cum reliquis virtutibus à Deo mandatis conjuncta. Insuper autem in rebus humanis quid admirabilius vel mediocri ingenij celeritate? quid utilius judicij dexteritate? quid optatius memoriæ fide ac tenacitate? quid splendidius oratione nitore, ornamentisq; rerum & verborum instructa? quid verò magis humanæ naturæ proprium, quam actio virtutum præsertim earum, quæ mitiores

tioreſ ſunt, & cum humanitate conjunguntur? Sed ut horum omnium infinita quædam eſt, ut conſtat, amplitudo, ita anguſtis ſpacijs nequaquam includi ſe patiuntur. Quo fit ut animi motum aliquem declarari ac alijs copioſius cogitandi ſemina tradi ſatis eſſe videatur.

Sequitur ut ſtudioſorum cùm pueritiæ, tum ſequentis ætatis modum atq; rationem introſpiciamus. Prima fundamenta in natali ſolo collocat, quod totum in Grammatico exercitio conſumptum eſt. Deposito Tyrociniſio *Lipſiam mittitur cum eo*, quem privatam præceptorem habuerat, cujus eo iter inſtitutum erat, ſed in eo quidem loco non adeo diu verſatur. Inde *Vittebergam* adit, quæ tunc præ reliquis *Academijs* erigere ſeſe ac lucere cœperat. *Hic annos octo commoratur*, hic lumina doctrinarum in omni genere videt & audit, in quibus primas partes Reverendi viri Lutherus, Schurphius & Melanthon obtinebant. Eſſi autem cœleſtis doctrinæ cognitionem, quæ in omnibus eſſe debet, non præterit, tamen præ cæteris eximium hoc habet, ut primarum artium & Philoſophiæ fontes cognoscat. Inde *Lipſiam revertitur*, ut initia doctrinæ de iure civili, ad quam occulta naturæ vi rapièbatur, perdiſcat. *Hic biennium commoratur*, ac præceptores præcipuos habet, *Ludevvicum Facium & Martinum Loſſetium*, Sæpe verò *predicare de hoc biennio ſolebat*, ut fateretur, ſe totâ ferè juris cognitionem iſtius intervalli exercitio debere. Cum profectus non contemnendos feciſſet, & ætas magis magiſq; matureſcens aliò vocaret, conſilio ſuorum *Italiam* adit, ut aliorum quoq; vocibus & exemplis abundet. Eſſi autem variorum locorum ſpectator fuit: tamen ferè *Bononiæ & Senis*, quæ *Inclytæ* ſemper ex ſtudijs fuerunt, commoratur, *Eo in loco præceptores habet Philippum Decium & Simonem Burgeſium*, quorum uterq; præclarus in iuris profeſſione fuit. In *Italia* verò totam *triennium inſumitur*, quod quidem beneficium ut rariffimum eſt, ita non caret admiratione. His igitur, quæ dixi ſtudijs

eam ætatis partem exercuit, quæ ad præceptorum voces audiendas aptissima putatur. Quæ nisi libeat æqua lance singula ponderare, satis apparet maximè necessarijs operam ab eo datam fuisse, de quibus ab **Æschylo** præclare dictum est:

οὐχ ὁ πολλὰ, ἀλλὰ τὰ χρίσιμα ἰδὼς σοφός.

Quoniam autem virtutum & honorum naturalis quidam nexus est, operæ precium fuerit, ut quos honores tulerit, exprimamus. Cum in Academia **Vittebergensi** annos aliquot versatus esset, Magisterij gradum non ex futilitate, sed certis de causis petere coactus fuit. Eum igitur annos viginti tres aut circiter natus, propter studiorum ac vitæ integritatem, **IACOBI MILICHII** doctissimi Medici autoritate non gravatim obtinuit. Ab eo tempore quatuor circiter elapsis annis cum in Italia versaretur, ad culmen fastigiumque Doctoratus in Academia **Senensi** admittitur. Antequam autem voti compos evadat, lectionibus aliquot habitis specimen eruditionis edit, qua ex re laudem invenit & amicos aliquot sibi paravit. Examinatus tandem à **PHILIPPO DECIO** & **SIMONE BURGESIO** clarissimis Iureconsultis, & dignus Doctoris titulo iudicatus, quæ insignia ejus ordinis sunt, obtinuit. Eodem ferè tempore Equitis aurati titulo fuit exornatus, idque autoritate **ACHILLIS BOCCII** Bononiensis, qui & ipse Eques auratus, Comes Palatinus & Orator Romanus erat. Insuper etiã Vicecomitis Palatini dignitatem Bononiæ consequitur, in qua **MARCUS de BRAREO** aulæ Lateranensis Comes Palatinus autor ei fuit.

Postquam rerum cognitione, honoribus & autoritate satis abundaret animum ad connubium adijcere cœpit. **Hesiodus** jubet eam duci quæ proximè habitet, ita ipse etsi alibi duxisse non malè poterat, tamen
Patriæ

Patris familias præferendas arbitratur. Inter primarias autem & vetustissimas una est Almannorum familia, quæ subinde multos utiles Reipub. viros pro genuit. Ut autem Hortensius ex Catonum progenie liberis sibi cupiebat; ita SCHEIRINGI animus ad hanc cognationem inclinat, atq; ita cum fœminaprimaria contrahit. Verè felix & conveniens hoc matrimonium fuit, ut nec felicius nec convenientius esse potuerit. Nam ut ipse præcipuarum virtutum cultor erat; ita conjunx cum pietatis, castitatis & omnis humanitatis amantissima, tum erga suos *εὐδοκίαν* nunquam desijt esse, quam rem ipse singulare donum Dei esse agnoscens, vicissim se ita parabat, ut pij conjugis animum alienum à se esse non pateretur.

De officijs verò recitari solet *ἔργα ἀνδρῶν δεικνύοντι*. Quoniam in his, quid quilibet velit aut possit, luculenter declaratur. Quo fit, ut hæc quoque pars expositionis à nobis præteriri, interque posteriores haberi non debeat. Non multo post reditionem ex Italia vocatus ab HINRICŒ Brunsvvicensi à consilijs ejus esse cœpit. Etsi autem propter dissimilitudinem regilionis principio reluctatur, tamen cum aliorum accedunt consilia, vocationem eam arripit & admittit.

Ac agebat se Lutheri voce & sententiâ valde commotum fuisse, quod ad politica non Ecclesiastica proficisceretur, quod posset interdum religioni patrocinari, viamque parare, veruntamen semper agendum, ut conscientia sine vulnere maneret.

Eodem fere tempore à Christophero Bremensi Episcopo similem ad functionem invitatus fuit, quam non recusavit, sed interim de sua quadam libertate sibi cavavit atq; prospexit. Triennium in utraq; functione infumi-

insumitur, quo tempore impetus quoddam interdum
sapientia SCHEIRINGI mitigatos fuisse cognovimus.
Tandem propter Sacramenti negocium, si falsus non
sum, discedendi potestatem obtinuit, in quo confessio-
nis aliquod est exemplum. Liberatus à fide principum
istorum, cum alioqui in Inclyta Magdeburga sedem sua-
rum fortunarum collocasset, Consul in locum & admi-
nistratiōe vocatur. Interea verò factum nonnunquam
est, ut IOHANNIS FRIDERICI Saxoniz Ducis ne-
gocijs adhibitus fuerit. Erat is princeps cum de tota
religione, tum de alijs quam plurimis hominibus opti-
mè meritis, ac dabit sine dabitio Deus, quæ ad posterita-
tem memoriamq; tanti Herois propagandam pertine-
bunt.

Cum in his functionibus dexterrimè SCHEIRIN-
GVS versatus, & ab omni obligatione jam foret immu-
nis, ab HINRICO Megelburgio ad Cancellarij munus
invitatur, cui vocationi difficilem sese non præbuit. In
eo verò munere toti ditioni multa salutaria summo
cum studio animiq; præstitit alacritate. Ac ut cætera,
quæ copiosissima sunt, præteream, cum de mutatione
religionis ageretur, solus ipse ipreto quovis discrimine
reluctatus est, & crebris etiam admonitionibus effecit,
ut animi præcipuorum in officio continerentur. In
hac verò functione versatus usq; eo fuit, quoad HIN-
RICVS Megelburgius ultimum ab ore spiritum emisit,
quod plus minus quinq; annorum est intervallum. In-
terea quàm multa, quàm varia, quàm utilia peregerit, si-
cut fuit industrius, fidelis & honestus, non possumus
fortasse sine fastidio commemorare. Liberatus à
Megelburgiacis rebus, Magdeburgum ad patrios la-
res revertitur, sed continuo IOACHIMO Episcopo
Brandeburgio, & GEBHARDO MANSFELDIO inti-
mus & à secretis esse cœpit, in quo munere reliquum
etiam vitæ tempus insumit. Administravit igitur offi-
cia, quæ quidem in hac civili conjunctione præcipuos
ordi-

ordines habent, ac ita administravit, ut ejus gubernatio salutaris, atq; cum optimorum gratia fuerit conjuncta.

De reliquis rebus nonnunquam extra functionum limites privatim vel publicè confectis copiosus haud dubiè catalogus institui posset, sed satis est, de præcipuis & maximè memorabilibus commentari. Cum Magdeburgiaci Senatus pars aliqua seu membrum esset, communi protestantium, qui sic vocantur, nomine unà cum Doctore PEMMELBERGIO & alijs propter controversias cum HINRICO Brunsvyicensi susceptas ad Imperatorem in Brabandia commorantem ablegatur. Sicut autem odiosa iudicibus causa fuit, ita subinde cognitio rejicitur, & legati nonnunquam in discriminibus capitis privatim & publicè versantur. Tandem statuto cognoscendi die, etsi alij Saxonico legato dicendi partes demandabant, tamen is certis de causis excusatur. Ita ad SCHEIRINGVM ventum est, cui hæc provincia communi cæterorum consensu defertur. Habuit igitur orationem valde prolixam, & sicut erat facundus, credo eum perspicuè & luculenter orasse. Solebat hic nobis CAROLI facilitatem multis commendare, quod is æquamiter & sine ulla fastidij vel acerbitatis significatione sententiam orantis audivisset. Addebat, non multos post dies, accepta sententia non dura, humaniter se ab Imperatore dimissos esse. In primis etiam illud prætereundum non est, quod in obsidione Magdeburgiaca operam aliquam de pace restituenda firmandaq; contulerit: Ad MAVRICIVM Septemvirum Saxonicum belli ducem legationis nomine ab HENRICO MEGELBVRGIO missus erat, & aderat fortè MAVRICIO IOACHIMVS BRANDEBVRGLCVS Septemvir. Peracto negotio, cujus causa legatus venerat, sermones fieri de transactione cæperunt: Principes declarant, se satis promptos esse, & deferunt ipsi partes agendi, quas pro Patriæ salute gratissimis manibus amplectitur. Agit igitur inter partes, ac, ut paucis

G

expediam

expediam, summa cum fide, & pro viri boni officio rem
tractat. Euripides ait, ἐν μυσίῳ στρατῶν ἀλλόλοισιν ὄχλοι
κρείσσονα πύργος: ita persape minacibus militum vocibus
excipitur, sed benevolæ Dei clypeo protectus, facile su-
perat & emergit. Etsi autem indefesso studio, & singula-
ri cum sapientia arbitri munus administrat, tamen cum
conditiones pacis paulò duriores viderentur, animi
coalescere nondum potuerunt. Hæc igitur in istis ne-
gocijs ita peraguntur, quæ quidem memoratu digna
sunt, partim propter publicarum rerum noticiam, par-
tim ut optimi viri benemerita publica privataque co-
gnoscantur.

Quandoquidem autem ad societatem etiam nati-
simus, dignum humana natura faciunt, qui conversa-
tionis amantissimi sunt, & optimorum sibi consuetu-
dinem adjungunt. Itaq; SCHEIRINGVS, ut erat φι-
λόνηρωπος passim ita se comparabat, ut animos homi-
num sibi addictos haberet. Sicut autem ea demum est
amicitia firma, quam studiorum similitudo contrahit
atque fovet, ita nihil prius doctorum hominum con-
suetudine putabat. Inprimis ad præceptorum bene-
volentiam obtinendam, quod multi vel non possunt
vel non volunt, animum intendit. Ac ut in pauca
complectar, cum Luthero prout convictum commu-
nem ad annos aliquot, quos VVittebergæ commora-
tus est, sic domesticam quandam conversationem, &
jura privata familiaritatis habuit. Cum sub initium
dissidiorum, quæ ex disputationibus doctrinæ oriebantur,
occultæ Luthero Magnatum quorundam arte
fierent insidiæ, agebat recognita sibi tanquam dome-
stico, tuitionis officiolum demandatum fuisse, Condu-
cti erant nonnulli, qui vitæ Lutheri, quantum possent,
insidiarentur, ex quibus unus VVittebergæ commora-
tus occasionem quamcunque captat. Interea verò,
ut sit suspicio minor, conciones ejus audit & simul,
quæ ad institutum facerent, observat.

Sed

Sed quod miraculo non caret, cum majestatem ad
insignes in homine dotes cognoscit, ita vincitur & ob-
stupescit animus, ut nihil minus, quam quod institue-
rat, præstare possit. Itaque præfectum arcis, qui tum
quidem IOHANNES MECIVS erat, adit, & cau-
tione interposita, quid agatur, quæque retia posita sint,
commemorat, cum commune periculum esset, prin-
cipis imploratur sententia, sed ita tamen, ut inter pau-
cos ea de re constiterit. Et si autem magnitudo ani-
mi, quæ fuit in Luthero, major erat, quam ut his insidijs
succumberet aut frangeretur, tamen aliorum consilia
eò spectarunt, ut, quæ non essent impia remedia, non
negligerentur. Ea demum ratione SCHEIRIN-
GO cum alio quodam negotium datum fuit, ut & co-
mites ejus, & sicubi res ferret, vel terrori malevolis, vel
Doctori subsidio essent. Prætereo cætera, quæ haud
dubiè præclarissimis viris nota sunt, sed in his omni-
bus semper ad IOHANNEM MECIVM ipse sese
referebat. Philippo verò Melanthoni multis nomini-
bus, tum etiam propter parentem communi patria
conjunctum, ut opinor, carissimus erat. Ut superio-
ra omittam, certè his annis literas aliquot vidimus,
quarum nonnullæ consolationes SCHEIRINGO
necessarias & dulcissimas continebant. In Italia ve-
rò cum PHILIPPO DECIO, SIMONE BVR-
GESIO, & alijs nonnullis familiariter, amanterque
conversatus est. Narrabat, se uni ex Italicis præcepto-
ribus librum Lutheri de Votis Monasticis exhibuisse,
sed ablatis prius ijs, quæ autoris nomen prodere vide-
bantur. Is lecto libro non nisi divinum hominem ejus
scripti autorem esse posse retulerat, quod iudicium,
perinde ut profectum ex animo, neutram in partem su-
specto, gratissimum sibi SCHEIRINGVS fuisse de-
clarabat.

Non multo verò post, cum idem Italus sinisterrimo
sermone de Luthero conquestus fuisset, levitatem ejus

reprehenderat, quod qui librum Lutheri divini hominis scriptum arbitraretur, in solum nomen adeo hostili, animo esset. Ea voce permotus Italus librum quidem ut presentissimum venenum abiecit, sed tamen adolescentis saluti propter mutuam consuetudinem pepercit. In Italia etiam conversatio ei cum insigni quodam Mathematico fuit, quem tamen non nominabat. Cum aliquando in sermonem de Luthero devenissent, dixerat Astronomus, eam in Genesi Lutheri vim inesse, ut omnium hostium victoria decernerentur, & autorem se principibus fuisse, ne quid adversus eum hominem instituerent aut moverent.

Sapienter hic SCHEIRINGVS, non esse res humanarum virium quæ à Luthero gererentur, atque ea de causa non astris, sed potentia Dei tantas virtutes adscribendas esse. Nam etsi sua vis astris est indita, tamen, qui autor illarum est causarum, aliàs unâ cum astris, aliàs solus, vel sine, vel cõtra aspectus res humanas gubernat. Non dicam de cæteris, quibus est familiariter usus, nihilominus ita sese res habet, ut optimorum quorumcunq; honorifica fuerit de eo sententia. Libera sunt hominum, ut constat, judicia, & ferè quod quisq; sentit, id pro sua libertate, præsertim loci temporisq; occasione data, proloqui non veretur. Attamen acerbas de SCHEIRINGO voces, quoad mens mea respicere potest, non audiui, imò verò qui vel prædicarent, vel fortunarum ejus vicem dolerent, non paucos vidi, aucti atq; cognovi.

Quandoquidem autem nihil est in rebus humanis constans, firmam atq; perpetuum, ideo suæ quoq; miseris & vicissitudines optimo viro fuerunt. Homerus fingit in cælo dolia duo reposita, alterum felicitatis, alterum calamitarum, ac semper cuilibet homini mensuram ex utroq; mixtam propinari. Pindarus ait; juxta unum bonum duo mala posita esse. Aristophanes vi-

num

num cum fecibus bibendum inquit. Polycrati fortuna-
tissimo homini A M A S I S rex Aegyptius amicus esse
nolebat, cum nullum unquam calamitatis sensum per-
cepisse se gloriaretur. Democritus Artaxerxi demor-
tuae conjugis resuscitationem promittebat, si triginta
nomina hominum, qui non essent insignem aliquam ca-
lamitatem experti, dari possent, ut ea sepulchro ad resu-
scitationem inscriberentur.

Ac revera sic est cum homine comparatum, ut ne-
cesse sit in corpusculis nostris vulnera quaedam calami-
tatum, quasi vestigia irae divinae conspici & extare, variè
verò diversisq; rationibus calamitates vagantur, & alij
alia parte vitae premuntur. Ita SCHEIRINGVS pau-
cis ante mortem annis tristissimas in ærumnas devenit,
ex quibus Megapolensis acerrima fuit & maximè lu-
ctuosa. Ejus verò negocij cum sint circumstantiæ pau-
lò plures, ut in his spacijs aut angustijs pro dignitate re-
citari non possint, silentij nostri justissimam causam ha-
bere nos non dubitamus. Interim dum hæret in hoc
luto, aliæ quoq; nebulae alijs in locis contra eum insur-
gunt, quarum commemorationem, ut non ex omni par-
te notam habemus, ita supervacaneam arbitramur.
Cum Hector interfectus esset, singuli ferè gregarij, qui
alioqui conspectum ejus ferre non potuerant, jaculis in
cadaver missis fortitudinis suæ specimen edere volue-
runt. Ita verum fit illud, quod proverbij vice solet usur-
pari, Briseis de calamitatibus suis conquerens, ait, ma-
lum malo succedere, *δὲν ὁ πρὸς ἑσέως ὡς ἀνὴρ ἐυλιπέται*. Ac
revera sic in omni fit vita, ut semel turbatis rebus subin-
de novi motus obrepant, & congruit alijs multis, quod
deventis Virgilius inquit.

Quæ data porta ruunt & terras turbine persflant. Ve-
runtamen cum virtus etiam in ærumnis eluceat, sin-
gulari quodam animi robore contraniti luctariq; non
desijt, & tandem morte, quoscunq; hostes habuerat, de-
vicit.



Nunc ut ad Catastropham accedamus, in qua mirifica nonnunquam divinæ clementiæ testimonia conspiciuntur, eo, quo moriebarur die, causas privatas aliquot privatim egerat. De morbo verò, nec alijs, nec ipsi ulla vel suspicio erat, ac tandem ita factum est, ut sub vesperam quasi cum impetu pectus comprimeretur. Multa hic, quæ in rem erant, à domesticis administrantur, sed ipse econtra gravissima suos oratione cohortatur ad pietatem, ad constantiam, ad fugiendas prophanae dogmatum, quales his annis serpere cæpissent. Atque ita Deo sese commendans, animam tam placidè exhalat, ut astantes, quid fiat, non nisi ex eventu animadvertant. Etsi autem præmatura nonnihil mors ejus videri potest, præsertim cum vix annum quinquagesimum attigerit, tamen inde consolationem petere debemus, quod judicia Dei justa magnæque sapientiæ sciamus esse. MAURICIVS Imperator cum à Phoca liberos suos in conspectu suo trucidari videret, aliquoties vocem hanc reperijt: Iustus es Domine, & rectum judicium tuum. Piè quidem ille, sed nos quoque confessionem eandem, quicumque demum sint rerum exitus, summa cum patientia sonare decet.

Quoniam autem ejus calamitatis hæc est conditio, ut in integrum restitui non possit, necessarium in primis est, ut pro eo qualicumque usu donorum, quæ in illo viro fuerunt divinitus concessa, grates AËterno Deo plena voce dicantur. Quid enim magis iniquum, quàm cum hominibus pro tenuissimarum rerum usu grati sumus, Optimo Maximo pro tantis luminibus parem animi declarationem aut reverentiam denegare? Insuper etiam cogitari decet id, quod res est, sæpe peccata nostra causam esse, quare tam immatura morte pij ac docti viri, quorum magnus in vita foret usus, præripiantur. Deinde cum ad emendationem nostram, cum alias tum has etiam ærumnas Optimus Maximus grassari sinat, operæ precium est, ut veræ pœnitentiæ sincerum ardorem

rem cum illa agnitione jungamus. Neque enim frustra punimur, sed ad hanc rem, ut alia causa, sic illa quoque concurrat, quod Deus in viam redire nos velit, ne nimium in flagitio scelereque progressi, in aeternum exitum ruamus. Roganda etiam divina Majestas est, ut in vineam suam alios subinde operarios mittat, qui pari fidelitate, majorum suorum vestigia subsequantur; postremo vero, ut quando similem in arenam descendendum est, benignè nos foveat atque tueatur.

D I X I



N^o 4119 *




754728

X 2420937

R 1077






№ 41

№ 41





4854/567

ORATIO DE
IOHANNES
SCHEIRINGO,
MAGDEBURGENSI, IVRIS
Vtriusq; Doctore, & Cancel-
lario Megapol.

Scripta
à
GOTTSCHALCO PRÆ-
TORIO.



MAGDEBURGAE,
ANNO M. D. LV.

1654
k.w.

